MORBUS SALUTI SICUTI VOLUPTATI DOLOR OPPONITUR DISSERTATIO...

Paolo Codignola

MORBUS SALUTI

SICUTI VOLUPTATI DOLOR OPPONITUR

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

BARTHOLOMAEO PANIZZA

ANATOMIAE HUMANAE P. O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE CAPESSENDA

IN CELEBERRATISS. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Decembris MDCCCXXX

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

PAULUS CODIGNOLA

BRIXIENSIS

EX VEROLANOVA.

TICINI REGII

Ex Typ. P. Bizzoni Bolzanii success.

I. R. Universitatis Typograph.

826

THESES DEFENDENDAE

I.

Maniae causam proximam negligunt qui maniacis metum injiciendo aut flagellatione succurrunt.

II.

Causa perturbationis facultatum animi in fibra organica tantum inquirenda.

III.

Cujusvis organi functio cessat ut primum ibi nervorum influxus obmutescit.

IV.

Drastica nocumentum afferunt in quacumque gastritidis et enteritidis forma.

V.

Hydrothorax non semper percussione detegitur.

VI.

Stethoscopium ad diagnosim morborum thoracis quam maxime utile.

Doctissimo Viro inter Italiae Pathologus

Claro F. G. Geromini.

Tibi, qui contra systematicorum incantamenta munitum me fecisti — qui, plurium pathologicorum systematum falsitate penitus evicta, observationibus et factis eum, qui eis debetur, valorem tribuisti — qui prout sanitatem in voluptatis, sic morbos omnes in doloris organica conditione fundari primus docuisti — Tibi, inquam, hoc meum, qualecumque sit, opus, cujus argumentum ex purgatissimis tuis scriptis hausi, sacrum esse sine. Nolem tamen credas me animadversiones expositurum, quae tuo nomine decorari mereantur. Etenim subiectum, de quo agere suscepi, perquam difficile, angustia temporis huic labori concessi, ingenii mei tenuitas, et, quod maximum est, experientiae propriae defectus tot obstacula sistunt, quae conficiendae rei illo honore dignae valide opponuntur.

Probe gnarus in re medica absque annosa observatione profundaque rerum meditatione naturam vere interpretari, hinc aliquid boni et utilis proferre neminem posse, hoc opus nunquam suscepissem, nisi accademicae leges a me id postulassent. Occasionem tamen qua profundae existimationis meae pignus Tibi offerrem libentissime arripiebam.

Nonnullorum est opinio voluptatis et doloris alternationem ipsi naturae hominis, suisque successivis propensionibus constanter inhaerere. Non ita tamen rem se habere facile reperiissent, ubi paullo adtentius in omnibus vitae suae stadiis et relationibus hominem ipsum considerare eis placuisset. Etenim infans, in quo tam interna — *organisatio* — quam externa — *incitamenta* — vitae conditio ad normam se habet, et functiones hinc omnes harmonice peraguntur, voluptatem solummodo persentire debere mihi videtur. Praeterea voluptati hominem indesinenter studere, eodemque potentiae gradu ad eam trahi qua dolorem adversatur neminem sane latet. Hanc igitur veritatem non ego argumentis confirmabo.

Tantum autem nativae hominis inclinationi voluptatis desiderium et doloris aversatio inhaeret, ut aliorum laetis laetetur, et calamitatibus conflictetur. Per aliorum jucunditates enim voluptatum jam alias perceptarum reminisci cogitur; et hoc

ita verum est, ut quo sensibilior est homo, eo majorem experiatur voluptatem ex aliorum jucunditatibus. Et cum ex alia parte nemo sit, qui aliquo dolore non fuerit excruciatus, aliorum etiam doloribus male afficitur, et eo profondius quo sensibilior, et aerumnis magis fuerit pressus. Et reapse misericordiores homines illi sunt, qui magis excruciati fuerunt. Nescio autem concipere quomodo Epittetus dixerit, = si quem excruciatum et flentem vides noli flere: = hoc enim praeceptum praeterquamquod hominis adversatur naturae nimis aliunde distat ut fundamentum constituat bonae societatis. Sed quid est, et ubi residet facultas illa, cujus ope voluptatem et dolorem percipimus unicas juxta Gallini, aliosque non paucos, sensationes, quarum homo capax sit?

Quibus natura componitur corporum, phaenomenorumque, quae in ea contingunt, notitia aliter ad nos non pervenit nisi per sensus. Et eatenus animantia vitam ab aliis naturae corporibus diversam vivunt, quatenus sentiunt. Sicuti autem sensibilitas nobis haud manifestatur, nisi ope duarum illarum mutationum sibi oppositarum, quae immediate succedunt externorum et internorum agentium impressioni, (quae mutationes omni aetate, et ubique semper nuncupatae fuerunt voluptas et dolor) ita nil a veritate illum recedere putarem, qui sensibilitatem definiret facultatem

organismi animalis, per quam ipse percipit organicas mutationes, quae succedunt impressioni agentium externorum et internorum. Quisnam vero determinare poterit in quo consistant binae illae primitivae mutationes organicae? Mihi affirmare sufficiat cum Geromini, mutationem voluptati respondentem homogeneam esse organicae moleculárum dispositioni, quae occurrit in organismo sano; et econtra heterogeneam, et contrariam supradictae molecularum dispositioni esse mutationem, quae dolori respondet. Quamvis autem intimam sensibilitatis naturam prorsus ignoramus, nobis tamen evidenter patet ubi illa suam habeat sedem. Qua de re ab ulteriori abstracta sensibilitatis consideratione abstinendo, ejus phaenomena perscrutabimur in suis relationibus cum organicis mutationibus, quae eveniunt in partibus, in quibus illa residet.

Sensibilitas deest ubi nervi desiderantur; nervosum igitur systema, et sensibilitas tam stricte uniuntur, ut unum et idem constituere videantur. Hanc sententiam strenue defendunt Gallini, Broussais aliique medico-philosophi.

Quod si vero voluptas et dolor a nobis idcirco percipiuntur, quod sensibilitate donamur, sensibilitas autem adeo immediate a nervis pendet, ut ubi nervi absunt, et sensibilitas omnis desideretur, necessario consequitur voluptatis et doloris

conditionem materialem esse, uti sunt nervi. Adeo porro verum est voluptatis dolorisque conditionem materialem esse, ut haec ab actione rerum externarum, aut internarum in nervis ipsis, aut in aliis partibus vivis poni queat, quin animalis voluptatis aut doloris perceptio contingat. Quod evenit ubi nervi, qui ad commune sensorium peractas mutationes conducere debent, ex aliqua causa impediuntur quominus eo munere fungantur, vel ipsum perceptionis organon impressiones a nervis conductas recipere nequit. Quapropter perquam justum mihi videtur cum Geromini hasce mutationes aut impressiones in aliqua parte viva inductas nuncupare materiales voluptatis et doloris conditiones, quia reapse dolorem aut voluptatem pariunt, ubi inter partes, in quibus contingunt, et cerebrum in sanitate constitutum necessaria adsit relatio (1). In ipsa enim parte, in qua impressio

---

(1) *Magnopere obstupuimus sequentia apud Broussais legentes (examen des doctrines médicales etc. Paris* 1829.) *relate ad prolegomena pathologica Clarissimi Geromini : ex quibus apparet ipsum Broussais in errorem incidisse pluribus aliis communem, quo sibi longe alias ideas efformarunt quoad irritationem, quam quae a Geromini perspicue traduntur, dum eam dicit* condizione materiale, o organica di dolore, *quam veluti simplici-*

efficitur omnia adsunt elementa, per quae fibra, si vivit, unam aut alteram recipit ex supradictis

---

simum et summe generale factum pathologicum declarat ab actione abnormi rerum externarum vel internarum in organismo omnium primum inducendum. Si Broussais verum Auctoris sensum penetrasset, qui non difficilis fluit ab expressione condizione materiale di dolore *anne sequentia Geromini objicere potuisset? » Geromini ne pense » (inquit ille pag. 519. vol. 2.) qu'aux sensa- » tions que l'homme, soit sain soit malade, peut » éprouver: il est embryon avant de devenir homme; » et alors il ne sent pas. Que sent-il quand il » n'est qu'une gouttelette de matière fécondée? il » est pourtant vivant et dans l'état normal. Que » sent il lorsqu'il est plongé dans un état d'apo- » plexie profonde, de syncope, d'asphyxie? il » est pourtant vivant et anormal. Geromini n'a » point réfléchi que le sentir étant une fonction » de l'appareil nerveux, ne peut intervenir, dans » l'histoire de l'homme comme fait primitif de » toutes ses fonctions..... Comment prouverait-il » par éxemple (pag. 524.) que le miasme de la » variole, qui est bien une cause de l'irritation » et de l'inflammation, n'agit qu'en produisant » de la doleur? la douleur vient bien plutôt après*

primitivis organicis mutationibus, prouti nempe variant causae.

» *que le poison a agi. Il modifie le sang et les* » *fibres, tant nerveuses que vasculaires en certaines* » *régions de l'économie, de maniere à y accumuler l'irritabilité, à y produire une fluxion, et* » *ce n est que lorsque ces deux phénomènes sont* » *élevés à un certain point que le cerveau reçoit* » *la modification d'où résulte la douleur. Il en* » *est ainsi de toutes les maladies contagieuses, et* » *de la presque totalité de celles qui proviennent* » *de l'infection: les cas où la premiere impression* » *des poisons subtils est perçue par le cerveau et* » *traduite en sensation douloureuse sont entierement* » *rares.... Il résulte évidemment du rapprochement* » *de ces faits, que la douleur est, dans bien des* » *cas, consécutive à la maladie, et que par conséquent on ne saurait poser en principe que toutes les maladies soient l'effet de la condition* » *matérielle de la douleur.* » *Hisce omnibus quisque videt Broussais debitam non adhibuisse attentionem Geromini dictis, a quibus evidenter patet dolorem non esse confundendum cum materiale doloris conditione: dolor enim sistit perceptionem conditionis materialis doloris, quae conditio mutationem sistit omnino localem in fibra, et in ipsis elementis fibrae,*

Dolor atque voluptas binas res sistunt e diametro sibi oppositas. Quam veritatem perspicue sum-

---

quae influxum persentit morbosae potentiae. Haec interim mutatio fibrillaris sat bene expressa mihi videtur verbis condizione materiale, organica, o locale di dolore *ex eo, quod si de illa sensorium conscium fit, ea sensatio exurgit, quae in idiomate quocumque dolor nuncupatur. Et quod reapse clara a Geromini facta sit dolorem inter et conditionem organicam doloris distinctio luculenter ostendunt ipsius verba.* » *Diciamo condizione materiale* (*Pro-*
» *legomeni* §. 3.) *perchè la percezione del piacere*
» *o del dolore nei varj casi può e non può effet-*
» *tuarsi senza che ciò porti alcuna varietà nei ri-*
» *spettivi effetti successivi, alla produzione dei quali*
» *l' accorgimento, e quindi l' influenza dell' anima*
» *non è menomamente necessaria. Egli è certo per*
» *cagion d' esempio che maltrattando o lacerando*
» *un dito al disotto d' una legatura fattagli per*
» *impedire la dolorosa percezione, vi succederà una*
» *flogosi senza che dessa abbia luogo. Così avrassi*
» *vomito in un apopletico, cui siasi data forte*
» *soluzione stibiata, quantunque non possa in esso*
» *effettuarsi l' accorgimento della condizione dolo-*
» *rifica* (*irritazione*) *eccitata nello stomaco dallo*
» *stibio: siccome dissiperassi la lipotimia in un*

mus Tracy declarare videtur cum affirmavit dolorem desiderium esse non satiatum, voluptatem vero desiderium satiatum referre. Et revera sicuti liberum exercitium nostrarum facultatum, quae desideriis satisfaciendis sunt idoneae voluptatem in nobis gignit, et econtra illarum facultatum inhibitio, ob quam desideria expleri nequeunt in continuo dolore nos retinet (vigente nervorum cum cerebro relatione) clare patet desideria expleta aut non expleta confundi cum voluptate aut dolore. Et sicuti inhibitio opponitur libertati nostrarum facultatum, quae unicae juxta Tracy desideriis satisfacere valent, necessario consequitur dolorem sive perceptionem desiderii haud satiati directe et absolute opponi voluptati, quae sistit perceptionem desiderii satiati. Comprobatum est igitur quomodo duae illae conditiones scilicet voluptatis et doloris esse debeant natura oppositae.

Et hanc veritatem persentiit quoque Tommasini, qui ita loquutus est de dolore (1): » ma le

---

» *individuo col fargli ingojare qualche buon liquore* » *senza che abbia provato da questo alcuna piacevole percezione ecc.* »

(1) *Hic monendum necessarium puto Tommasini dolorem veluti potentiam deprimentem considerare. Ast si cum hoc Clarissimo Auctore dolorem veluti potentiam deprimentem admittimus quo-*

» cause onde procedono la gioja e la pena sono
» direttamente opposte tra loro: gli effetti poi pei
» quali la gioja si esprime sono del tutto contrarj
» a quelli, pei quali esprimesi l' affezione penosa.
» Egli è forza adunque di riconoscere sotto il pia-
» cere ed il dolore morale due stati o due modi
» di essere del sensorio non solamente positivi,
» ma l' uno all' altro diametralmente opposto; ed
» i fenomeni infatti ed i sintomi del piacere e del
» dolor morale ci sforzano a considerarli in quanto
» che sono affezioni del sensorio come modifica-
» zioni delle fibre opposte tra loro altrettanto,
» quanto opposta ne è la sorgente onde derivano
» il piacere ed il dolore (1).

Hisce igitur positis quisnam non videt primo intuitu salutem voluptatis, et morbum econtra sistere doloris materialem conditionem cerebro percipiente vel non?

---

modo ille esse potest adeo constans inflammationis comes, et quidem acrior, quo inflammatio est gravior? Nonne ipse dolor qua vis anti-excitans ipsam inflammationem, utpote adfectionem a nimio stimulo procedentem, infringere et extinguere deberet?

(1) *Lectio de dolore. Lectionibus Tommasini usus sum, quas ipse genuinas publice declaravit.*

Sed quotiescumque dolore affligimur morbone correptos esse asserere possumus et debemus? Dolor, quem aliquis queritur si non est simulatus aliquam semper alterationem morbosam in aliqua organismi parte mea sententia testatur. Sed anne dolores desunt reapse imaginarii? Ille solummodo dolor a recentioribus imaginarius retinetur, quem aegrotus percipit, et refert ad partes sanas, aut ad partes ab organismo sejunctas. Dato, quod in primo casu organon, cui dolor refertur, in sanitate reapse constitutus sit (quod forsan semper remanebit probandum) concludendum ne erit dolorem in partibus sanis exoriri, et dolorem exinde haud semper exprimere aliquam organismi morbosam conditionem? Quis sanae mentis non videt hoc in casu dolorem in cerebro ipso sedem habere, et ad alias partes demandari ex eo, quod cerebrum muneribus suis incongrue fungitur? Exemplum luminosissimum exhibent melancholia adfecti. In secundo autem casu in quo dolor ad partes refertur haud amplius cum organismo junctas, quis non agnoscit dolorem aut in cerebro radices habere, aut a reminiscentia suscitari? Et reminiscentia nonne sistit morbum si dolorem gignit? Reminiscentiae influxui periodicum febrium recursum tribuere quibusdam recentioribus placuit, et tamen nemo negare audet febrilem accessum morbum sistere.

Nobis interim morbum veluti statum saluti oppositum considerantibus objici ne poterit, illum pro simplici sanitatis negatione nos habere, illudque defendere, morbum ad sanitatem id esse quod tenebrae ad lucem, quod frigus ad calorem? Quo huic objectioni rite respondeamus necessaria foret perfecta cognitio legum, quibus obediunt phaenomena morbosa, sed natura, quam veneramur, ignorantia nostra nimis forsan delectatur, et cognitu impossibilem nobis se se offert admirandam. = A rigor di termini, inquit Buffalini, anche la vita dovrebbesi avere come uno stato negativo. = Ast quemadmodum nobis recte ratiocinari non datur nisi de illis, quae in sensus cadunt, ita si ad ipsa morborum phaenomena attendimus omni jure ad positivam morbi conditionem concludere debemus. Cuique revera patet morbum non solum excludere salutem partis, quam afficit, sed novos quoque gignere effectus unice sibi proprios. Effectus vero positivi manare non possunt nisi a causa positiva: nescio enim concipere quomodo causa negativa effectus gignat positivos. Tali pacto ratiocinatus est et Buffalini, sed deinceps, qua ratione nescio, amplexus est opinionem Reil, qui contendit salutem et morbum binos status organismi sibi contrarios non esse, sed diversas tantum vitae animalis species, quarum singula gradum sistit in serie phaenomenorum corporum viventium, atque

sic naturae ordinem servari. Summus ille Cesenae Medico-philosophus, qui cum Galeno et Fanzago morbum consideravit veluti ens reale in perturbata organisatione consistens, qua ratione dein contrariam potuit amplecti Reil opinionem? Quod autem morbi effectus directe opponantur salutis effectibus lippis quoque notum est atque tonsoribus. Et stupidi enim morbum timent ex eo quod, illo triumphante ad orcum sine venia ducuntur (1). Et sicuti juxta Volney delirium ibi incipit, ubi ratio silet, et delirium directe oppositum rationi ab omnibus consideratur, ita recte inferre mihi videor morbum directe opponi saluti, cum delirium morbi effectus rationi, quae salutis est constans effectus, contrarium sit.

A Nomadis quoque Asiae et Africae pro certo tenebatur omnes naturae operationes ad duas reduci, ad productionem scilicet, et destructionem. Et reapse nonne haec est metamorphosis generalis, quae nobis observanda occurrit, et quam ex-

---

(1) *Me non latet recensiores naturae scrutatores corpora mortua considerare ab animale vivente etiam perfectissimo per gradus solummodo differentia: attamen si oppositio non adest inter vitam et mortem oppositionis vocabulum excludi debere mihi videtur a philosophico sermone, qui debet esse naturae significatio.*

perientia omnium aetatum sancivit. Et quid aliud est natura, nisi omnium corporum viventium complexus? Qua igitur de causa operationes, quae in homine occurrunt ad duas et ipsas reduci haud debent? Et quis non videt productionem non esse nisi operam salutis, et destructionem morbi effectum? Et ut hujusmodi efficerentur operationes ipsis Nomadis necessariae videbantur binae potentiae inter se directe oppositae; et propterea aestatem et hiemem in continuo certamine esse contendebant. Cur igitur nobis haud inferendum erit morbum directe saluti opponi, si morbi effectus in directa antithesi cum salutis effectibus esse cuivis evidenter patet?

Quod si hic mihi difficultas obtruditur, inflammationis scilicet effectus (inflammatio enim certe sistit conditionem organismi per eminentiam morbosam) non semper partes organicas destruere, sed novas quandoque gignere, lubenter cum Monteggia rogarem si ideae, quas de phlogosi habemus, sufficiant nec ne ad mirificas explicandas reproductiones organicas, quae in animantibus sanguine frigido occurrunt, uti ex. gr. reproductio capitis in limacibus, pedum et caudae in lacertis, et salamandris. Et si in animantibus sanguine frigido tales partes inflammatio reproducit, qua de re ipsa inflammatio homini non restituit artus, auriculas, digitos quomodocumque ab organismo

sejunctos? Anne inflammatio, quae in homine occurrit nimis valida est? et qua de causa eo magis destruit, quo debiliorem organismum afficit? Et cur aliunde haud unquam potuerunt medici illam reducere ad gradum, in quo partes amputatas supradictis animantibus constanter restituit? Attamen inflammatio in homine ut a minimo ad summum pergat gradum debet necessario percurrere gradum, qui ad reproducendos artus in lacertulis requiritur. Ex alia parte quomodo phlogosis gradu solummodo differens duos effectus inter se oppositos gignere potest? Quamvis varient quammaximae modi, sub quibus in variis individuis, systematibus, et organis observanda phlogosis occurrit, et non adhuc sat certos characteres habeat, quibus distinguatur ab aliis morbosis conditionibus, et ipsius genesis nondum detecta sit, et intima compositio adhuc profunde lateat, nihilo tamen secius credere haud possum eam gradu solummodo variantem suam naturam adeo commutare, ut duos tali pacto sibi oppositos effectus gignere valeat, destructionem scilicet et reproductionem partium organicarum.

Minime igitur comprobatum est phlogosim novas partes organicas reproducere. Si tamen vera partium organicarum reproductio in aliquo organo aut systemate aliquoties observatur, hoc ab alia causa infra exponenda pendet. Hic interim mihi

liceat observare phlogosim sthenicam sive a salute per gradus solummodo differentem rationi adversari. Et revera quomodo potest sanatio contingere vulneris suppurantis? Hoc in casu inflammatio ad altiorem gradum evecta immediatam vulneris adhaesionem producere nequivit, atque in suppurationem abiit. Si itaque altior inflammationis gradus in causa fuit cur vulnus per primam, ut dicunt intentionem, conglutinari non potuit, id intelligere non possumus quare ad promovendam partium suppuratione destructarum regenerationem et vulneris sanationem novis irritamentis quandoque opus sit, quibus novam ferme phlogosim in parte affecta chirurgi provocare satagunt.

Quod si in physica animali non cogimur easdem semper premere semitas, et si nondum tales existunt in medicina columnae, quas ultra progredi, docente Bacone, humanae menti non concedatur, et si non candentibus tantum capillis reservantur innovationes in agro quo magis extenso, eo cultu difficiliori, mihi videor arrogantis maculam non fore promeriturus si ab inflammatione distinctam considero reproductionis causam in parte phlogosi affecta, quae autem causa, dum nititur reproducere organicas substantias, quas phlogosis destruxit, compescitur tandem et ipsa, et processui destructori locum cedit.

Ex hisce interea extra dubium positum esse

mihi videtur, effectus morbi directe opponi effectibus salutis. Si quis vero conclusionem ad naturam causae ex indole effectuum factam admittendam non esse putaret ego illi respondebo ipsam vitae essentiam aenigmaticam adhuc esse. Qua de re si morbus est considerandus utpote simplex sanitatis in plus aut minus modificatio, morbus ipse non minus quam existentia aenigmaticus erit. Juxta Gallini enim, Fanzago, Buffalini, et Goldoni intima essentia processus, qui directe morbum constituit heu! nimis humani intellectus vires superat. Quod si res ita se habet, quaenam alia via nobis remanet percurrenda, ut morbum cognoscamus, praeter eam, quam morbi ipsius effectus nobis suppeditant? Isti autem nonne directe adversantur effectibus salutis? Dolor et destructio partium morbo affectarum nonne res sistunt, quae directe contrariae sunt voluptati, conservationi et reproductioni partium organicarum, quae phaenomena tot constituunt salutis effecus?

Sed hic nova mihi obmoveri potest difficultas. Si morbus directe saluti opponitur, qua de causa non curantur morbi omnes cum jucundis stimulantibus Geromini, quae salutem conservant et firmant? Si salus et morbus duos sistunt hostes, quorum alter alterum abjicere nititur nonne ad morbum vincendum optimum erit consilium saluti vim augere ut morbus manus det victas?

Quaestio in primis gravis sed reapse speciosa. Si aliqui interim ex debilitate existunt morbi, (quam conditionem non sistere morbum sed debiliorem salutem lubenter defenderem) hos absque mora curandos esse cum supradictis stimulantibus nemo est qui neget. Antequam vero objectionem resolvere aggrediar mihi liceat aliquas exponere ideas relate ad morborum genesim. In quibusdam individuis fibrae sensibilioris, et viribus depauperatis communiora etiam agentia vitaeque necessaria morbum saepe saepius gignunt: quod non pendet nisi ex eo, quod fibrae potentiae externae debita vi agenti nequaquam harmonice respondent, unde potentia stimulans irritans evadit, et in parte, in quam agit, abnormem producit mutationem, quae facillime vicinis moleculis communicaretur nisi medicus jucundis stimulis eis cito succurreret, et simul affectas jam partes ab irritamentis liberare studeret. Ex adverso si potentia natura sua, vel nimia, qua agit, quantitate irritans organismum offendit insigni vigore praeditum tunc morbosa mutatio, quae fit in parte potentiae irritantis actioni subjecta, vicinis non communicatur, quia istae valide renituntur ne in statum morbosum rapiantur. Tali autem pacto et fibrae, quae corporis irritantis impressionem retinent circumvicinarum fibrarum physiologicum persentientes influxum corpus irritans expellere nituntur;

quo facto (aut quocumque medicinae auxilio ablato corpore irritante) pristinae restituuntur sanitati. Quod si autem corpus irritans tanta agat vi in moleculas, quas tangit, et hae tali ingrata afficiantur impressione, ut nequeant corpus arcere irritans, aut hoc medica arte remoto, non valeant amplius se primitivae restituere conditioni, tunc ingrata impressio permanens fit in fibris irritatis. Hae vero cum non amplius normales sint, veluti corpora irritantia in circumvicinas fibras agunt. A morboso interim influxu, quem fibrae primitive irritatae in contiguas exercent, et a renisu, quem hae ultimae primis opponunt, exoritur, ni fallor, processus, quem phlogosim medici compellarunt. Moleculae autem sive fibrae primitive irritatae cum jam et ipsae sint corpora irritantia debent ab organismo eliminari: en autem quomodo varii efformantur phlogosis exitus. Hae vero moleculae si nequeunt expelli, aut tali agant vi in circumvicinas, ut istae non amplius resistere queant, morbi diffusio succedit. Hisce nimis succincte forsan expositis haud difficile mihi erit supra expositae objectioni respondere. Irritationi et phlogosi succurrendum est, dicunt, jucundis stimulantibus: tali enim pacto salutem validiorem reddentes morbi destructioni optime favemus. Posito, quod moleculae quae influxum persentiunt molecularum primitive irritatarum, in

maxima sint tensione et cohaesione ne salutem amittant, et ut auxilium praestent illis moleculis, quae corporis irritantis morbosam retinent impressionem, quis non videt hasce moleculas vim adsimilatricem amisisse? Omnis enim eorum nisus ad influxum primitivarum molecularum aegrotantium subjugandum dirigitur. Et quis aliunde non videt homogenea non. esse stimulantia partibus, quae ea adsimilare nequeunt? Sed cur, rogabunt, non solum stimulantia haud suppeditantur, sed ipsi vitae stimuli, uti sanguis, ad morbum devincendum detrahuntur? Hic quoque eadem mihi videtur valere ratio: quoniam sanguis uti corpus irritans ageret in partes, quae eum adsimilare nequeunt. » Et quamvis inflammationis causa, in» quit, Ettmullerus, non sit sanguis, sed irritatio » seu spina, » — « Attamen c' est ainsi, inquit » Broussais in suo examine de medicis doctrinis, » que le sang accumulé dans un organe enflammé » entretient son irritation, et menace de le dé» sorganiser, et c' est là que nous trouvons l' in» dication de la saignée: car si le sang est ici » un cause secondaire, qui entretient l' irritation » que d'autres agents ont provoquée, en soustra» yant le liquide nous ferons encor l' application » de l' axiome — sublata causa tollitur effectus. »

Sed ut meae thesis veritas magis magisque eluceat videamus si logicae analisi et factis resistat

illorum opinio, qui omnes fere morbos considerant uti totidem salutis in plus aut minus aberrationes, et nequaquam veluti conditiones saluti oppositas. Et primum considerare omitto impossibile esse ut morbi ex debilitate per partis affectae reactionem in oppositam naturam convertantur, quin prius in salutem abeant: neque rogo quomodo reactione capaces esse possint partes, quarum energia vitalis infra normae gradum valde depressa est, et potentiae debilitantis actioni sunt expositae. Hac enim de causa non injuria doctrina Cullen de febribus impugnata fuit et obiit. Cullen enim omnes febres pendere contendebat a reactione systematis nervosi a remotis causis fracti. Omitto denique animadvertere, debiliores homines debere prae caeteris morbis asthenicis aegrotare, et robustiores econtra morbis conflictari sthenicis. Has, inquam, aliasque omitto animadversiones ne argumentum aggrediar, quod viridi serto coronavit illustres Buffalini, Geromini, Goldoni aliosque quamplurimos. De phlogosis indole tantum agere statui, et hinc quaeram si ipsa considerari potest veluti stheniae processus, sive salutis excessus.

Si phlogosis sisteret processum sthenicum, sive salutem praeter normam adauctam, quaeque phlogosis semper sthenica esse deberet; et hinc partes illa affectae vividiorem colorem praeseferre deberent: necessarium enim est majorem sanguinis co-

piam contineant, cum nutritio (quae sola adaucta potest sthenicum gignere processum sive salutis excessum) augeri nequeat quin major sanguinis copia ad partes fluat. Sed non semper res ita se habet — » L' état blanc de la muqueuse, inquit » Bayle, n'est pas rare dans le catarrhe pulmonaire » chronique — Ainsi, inquit summus observator » Andral, chez quelques individus, qui avaient » présenté pendant la vie tous les symptômes » d' une bronchite chronique avec expectora- » tion puriforme abondante, j'ai trouvé blan- » che la membrane muqueuse du larinx, de la » trachée-artère, et des bronches » — Ita non raro observandae occurrunt membranae serosae pure repletae, pseudo-membranis exornatae, et naturalem colorem praeseferentes. Ita quidem alba omnino obsevata fuit membrana mucosa intestinalis permultis ulceribus conspersa. In multis denique individuis, in quibus urinae ad extrema usque vitae momenta purulentae fluebant albissima erat calicum, ureterum, vesicae, et urethrae mucosa membrana « Dans ces différentes affections des » tissus muqueux, concludit Andral, un travail » inflammatoire ne saurait être révoqué en doute.»

Et cum nobis aliunde aliqua pars inflammata occurrit obsevanda colorem praeseferentem obscurum et nigrum anne jure ac merito asserere possumus in illam partem majorem sanguinis co-

piam affluere? Ut sanguinem trans vasorum tunicas videamus absolute necessarium est vasa sanguifera distendantur, et tunicae attenuentur: debet enim in illa vasa major laticis copia affluere. A legibus tamen hydraulicis scimus fluidorum per canales excurrentium velocitatem imminui ea ratione, qua ampliatur alvus. Et Wilson Philipp. hujus legis veritatem comprobavit experimentis in textu celluloso coxae ranarum, et in mesenterio cuniculorum institutis. Ad hasce enim partes, in quibus arte phlogosis suscitabatur lente admodum pergebat, imo in suo cursu ferme sistebatur sanguis. Hujus igitur copia, quae ad partem inflammatam colorem obscurum aut nigrum praeseferentem accurrit, certe minor est, quam si eadem pars sana esset. Color niger interea, juxta Andral, observandus occurrit in inflammationibus acutissimis, color autem obscurus chronicis proprius est. Anne horum phaenomenorum rationem invenire possumus? Quo magis arteriosus sanguis in suis receptaculis consistit, eo nigriorem adipiscitur colorem, uti videre est in acutissimis inflammationibus. Diximus supra maxima donari tensione et cohaesione moleculas illas, quae, ut suam integritatem servent, validam morboso influxui opponunt resistentiam. In praesentiarum igitur facile est intelligere hasce moleculas et ipsas subjugari a potentiis morbosis, cum agatur de

acutissima inflammatione: sinunt propterea se expandi, et ab invicem disjungi a sanguine qui vasa ingreditur ab ipsis moleculis efformata. Non amplius autem vasorum contractionibus concurrentibus ad sanguinem propellendum necessario conseguitur sanguinem in vasis consistere debere: en qua de causa in acutissimis inflammationibus rapida exurgit gangraena. In chronicis econtra phlogosibus, in quibus moleculae aut fibrae organicae pedetentim naturalem amittunt cohaesionem, sanguis quoque pari passu cursum retardat, et hinc colorem praesefert obscurum.

Quae tamen de acutissimis et chronicis inflammationibus dicuntur haud dici possunt de acutis. Non ego enim inficior ad partes acuta phlogosi affectas majori celeritate, et propterea majori copia sanguinem affluere. Et reapse cum in maxima sint tensione et cohaesione partes tali processu affectae, vasa sanguifera contrahi quammaxime debent, et sanguis velociori cursu per ea ferri ob legem hydraulicam. Attamen major ad partem inflammata sanguinis fluxus sistit ne necessariam phlogosis conditionem, aut potius illius effectum? Si a factis compertum fuit phlogoses dari, quae majorem sanguinis copiam haud admittunt fas est concludere sanguinis majorem fluxum effectum sistere phlogosis jam existentis per alias conditiones (1).

---

(1) *Hisce ideis in medium prolatis mihi liceat*,

Et medela, quae inflammationibus convenit juvat ne id comprobare, quod inflammatio proces-

---

si possibile est, inquirere causam reproductionis organicae, quae in parte inflammata contingit. Sed ante omnia animadvertendum est partium organicarum reproductionem non posse locum habere in parte phlogosi affecta, dum ipsa viget phlogosis, quod idem est ac dicere dum viget processus destructionis.

Cum agerem de inflammationis genesi adnotavi aliquas adesse in hoc processu moleculas, quae quammaxime cohaerent inter se. Hac moleculae interea per cognitam consensus legem in eandem conditionem trahunt et illas moleculas, cum quibus communicant. Hae ultimae vero, quae cum morbo haud concertant omnem evolvunt vim, ut partes organicas reproducant: majorem enim continent substantiarum altilium quantitatem; nam sanguis majore celeritate et copia defertur per vasa ab illis moleculis efformata inter se quammaxime cohaerentibus. Pronum ergo est intelligere quare magis rubrae, tensae, et novas partes producere idoneae evadant partes, quae locum suppurantem circumambiunt.

Si vero contingit ut phlogosis deferveat, tunc fibrae illae, quae antea certabant, et omnem vim evolvebant ut moleculas mortuas et hinc irritantes

sum constanter sthenicum constituat? Anne omnes curantur phlogoses sanguinis missionibus, et sic dictis deprimentibus? » Saepissime in praxi (sunt » verba Baglivi) unum eundemque morbum cali- » dis aeque ac frigidis tolli medicamentis, tolli » quoque si methodis contrariis tractetur » et alibi » Vidimus passim aegrotos fuisse sanatos post » commissos gravissimos errores vel in potu, vel » in remediis ipsorum naturae maxime contrariis.» In morborum curatione autem eosdem effectus quandoque obtineri contrariis mediis Huffelandius quoque observat. Clarissimi quoque Geromini auctoritatem praetereo. Inflammationis autem methodo calefacienti stimulante tractatae, et nihilosecius in sanitatem perfectam terminatae in annalibus plura extant exempla. Quomodo haec facta explicare poterunt qui indolem constanter sthenicam processus inflammatorii tuentur? Dicent forsan per stimulantia medicamenta ad uberiorem secretionem cutim provocatam, et precessum inflammatorium hac ratione fractum fuisse? Sed antequam secundarium hunc effectum stimulantia edant nonne inflammationem vehementer exasperare deberent?

---

expellerent, majorem sanguinis copiam adsimilare queunt: et hac de causa novarum partium organicarum reproductio in scenam prodit, cujus ope regeneratur, et consolidatur id, quod a suppuratione destructum fuerat.

Quod si aliunde prodigia et miracula celebrat Brunonis sectator fidelis, qui ubicumque ignem accendit; si controstimuli fautor, qui continuo flammam extinguere nititur; si sanguinarius, qui mortem Senecae aegrotanti minatur; si stercorarius, qui in drasticis universalem possidet panaceam: si empiricus ipse, qui aegrotum in medicamentorum officinam convertere satagit: si miracula tandem celebrat, qui omnia a natura praestulans aquam putei lepide tinctam praescribit; si omnes, inquam, quos enumeravi, prodigia et miracula celebrant fas est concludere flogosim non esse sthenicam, et non semper deprimentibus curandam.

Quomodocumque tamen se res habeat mihi sufficit demonstrasse phlogosim non sistere salutis excessum, sed e contra constituere morbum directe saluti oppositum. Nolem tamen credas me negaturum in omnibus fere phlogosibus a sanguinis missionibus maximam obtineri utilitatem, quin imo ex analisi ad quam phlogosim revocavi facile ratio educi potest, qua sanguinis missio instituenda sit, et in aliquibus inflammationibus utiliores sint missiones generales, dum econtra generalibus topicae aliquando longe praestant.

Antequam autem huic elucubratiunculae finem faciam liceat meam sententiam argumento ex celeberrimo Tommasini decerpto ulterius firmare « Lo » stato di irritazione, inquit ille, ci presenta uno

» sconcerto, un disturbo più o meno doloroso » della parte irritata sollecitamente seguito dal » disturbo e dal sconvolgimento di movimenti nel » sistema nervoso ». Minus ambiguos characteres Tommasini tribuere non poterat morbo, qui saluti directe oppositus considerari vult. Hic reapse talem fibrarum habemus perturbationem, quae est contraria harmonicae molecularum dispositioni, cui salus respondet. Hic dolorem habemus, qui juxta Tommasini ipsum a tali pendet in fibris mutatione, quae a statu normali protinus abhorret. Evidenter igitur patet illam quamcumque mixti organici mutationem, quae irritationem constituit conditionem sistere saluti oppositam. Haec vero irritatio si aliquantisper perdurat et crescit juxta omnium medicorum observationem in phlogosim convertitur; quam veritatem inter primos novit ipse Tommasini. Attamen hic Auctor Italiae honor phlogosim esse salutis excessum totis viribus contendit. Irritatio ergo si intensitate aucta in phlogosim migrat naturam suam mutat, et intensior evadens benignitatem adipiscitur: si antea enim saluti opponebatur, cum in phlogosim convertitur non amplius a salute differt nisi gradu. Ex hoc igitur evidenter consequitur irritationem, quae artis auxiliis non obedit, augendam esse ut in phlogosim commutetur, eo magis quod phlogosis juxta Tommasini nullam amplius relationem cum causis

conservat. Ad curandam enim phlogosim sthenicam ea omnia praestant, Tommasini docente, quae nimis adauctos motus organicos compescunt. In irritatione econtra oppugnanda est conditio, quae non gradu solo a sanitate diversa est, sed ei omnino opposita, et hinc victu difficilior. Illa tamen non est praxis, qua utuntur Medici novae Doct. Ital. addicti.

FINIS.